DE PHAEDRI PLATONICI AETATE ARGUMENTOQUE.

SPECIMEN PRIMUM.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

RITE IMPETRANDOS

SRIPSIT

FERDINAND. VONNEILICH

TANGLIMENSIS.

MALCHINI.

TYPIS FERDINANDI GEPPERTI.

MDCCCLXXII.

AVUNCULIS SUIS

HUNC LIBELLUM

GRATI ANIMI TESTEM

D. D. L. M.

Auctor.

De Platonis Phaedri aetate qui recte iudicare voluerit, ea quoque debebit spectare, quae de Platonis vita cognita habemus; de qua re hic pauca explicare iuvabit.

Quo anno natus sit pro certo affirmari non potest. Ex Hermanni computatione natus est anno 429; atque si certissimos ea de re auctores inter se conferimus, vel hoc vel anno 428. — De anno quo mortuus sit, veterum testimonia sunt certiora ac minus inter se discrepantia, quam de anno natali, qua re ex illo de hoc nos concludere liceat. Secundum Dionysium Halicarn., Diogen. Laërt., Athenaeum Plato primo Olympiadis 108 anno Theophilo archonte mortuus est, hoc est anno 348 vel 347 a. Chr. n., quod etiam ex Diogene Laërt. IV, 1 et 14, ubi eos enumerat, qui post Platonis mortem Academiae praefuerint, apparet. Ibi enim *Σπεύσιππος*, inquit, *ἐσχολάρχησεν ἔτη ὀκτώ, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος.* Speusippum secutus est Xenocrates *ἀρξάμενος κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος.* Si vero ab anno 348 vel 347 proficiscentes definire volumus annum quo natus sit, pro certo scire debemus eius vitae aetatem.

Verum de hac quoque veteres inter se discrepant. Dionysius de comp. verb. p. 406: *Πλάτων*, inquit, *τοὺς αὑτοῦ διαλόγους κτενίζων καὶ βοστρυχίζων καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλιπεν ὀγδοήκοντα ἔτη γεγονώς.* Cicero de senect. V, 13 dicit uno et octogesimo anno scribentem esse mortuum. Secundum Hermippum apud Diogen. Laërt. III, 2; Luc. Macrob. 20; Augustin. de civitate dei VIII, 11;

Censorin. de die natali XV, 1 et prolegomm. cp. VI; Senec, epist. 58 p. 174 (Bip.) Plato unum et octoginta annos complevit. Quod si comprobamus, neque est, cur improbemus, Plato vel anno 429 vel potius 428 a. Chr. n. natus est; quod etiam Apollodorus apud Diog. Laërt. III, 2 testatur: *καὶ γίνεται*, inquit, *Πλάτων, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς ὀγδόῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ Ὀλυμπιάδι Θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ*, si quidem primum huius Olympiadis annum intelligere possumus. Quod Hermodorus apud Diog. Laërt. II, p. 106 dicit Platonem anno quadringentesimo vicesimo septimo natum esse optimorum e recentioribus auctoritate haud comprobo.

Praeclaris ingenii animique dotibus a natura ornatus Plato iuvenis viginti fere annos natus, cum antea ad poesis studium esset delatus cf. Diog. Laërt. II, 30; Aelian. V. H. II, 30[1]) per Socratem conversus est ad tractationem philosophiae Diog. Laërt. III, 6[2]) quam tanto amore ac studio est amplexus, ut magni praeceptoris maior discipulus fieret.

Post Socratis mortem Megaram se contulit, duodetriginta annos natus, ut narrat Diog. Laërt III, 6[3]) secundum Hermodorum, quia moleste ferret, et iniquum iniustumque haberet supplicium, quo magister ab Atheniensibus erat affectus[4]); vel ut alii volunt, quod ipse metueret illorum invidiam atque odium. cf. Diog. Laërt. II, 106[5]); fortasse etiam, quod iis uti maluit, quibuscum potuit philosophari

---

1) Aelian. V. H. II, 30 *Πλάτων ὁ Ἀρίστωνος τὰ πρῶτα ἐπὶ ποιητικὴν καὶ ἡρωϊκὰ ἔγραφε μέτρα. κ. τ. λ.*

2) Diog. Laërt. III, 6 *τοὐντεῦθεν δὲ γεγονώς, φασίν, εἴκοσιν ἔτη, διήκουσε Σωκράτους.*

3) Diog. Laërt. III, 6 *ἔπειτα γενόμενος ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἐτῶν καθά φησιν Ἑρμόδωρος εἰς Μέγαρα πρὸς Εὐκλείδην σὺν καὶ ἄλλοις τισὶ Σωκρατικοῖς ὑπεχώρησεν.*

4) cf. Plat. Phaed. p. 265; 267.

5) Diog. Laërt. II, 106 *πρὸς τοῦτόν φησιν ὁ Ἑρμόδωρος ἀφικεῖσθαι Πλάτωνα καὶ τοὺς λοιποὺς φιλοσόφους μετὰ τὴν Σωκράτους τελευτὴν δείσαντες τὴν ὠμότητα.*

quique Socratem colebant. Illo certe tempore non Athenae, sed philosophia ei quasi domus ac patria erat, qua re ad Euclidem se contulit, qui e Socratica disciplina erat egressus.[1])

Platonem postea itinera fecisse Cyrenen, in Aegyptum, Italiam, Siciliam omnes fere veteres scriptores testantur; Diog. Laërt. III, 6; verum quo ordine itinera sese exceperint, magna inter eos est dissensio. cf. Ast. p. 22. Atque ne constat quidem, utrum Plato per totum illud tempus, quod sequebatur, in peregrinatione fuerit, an aliquamdiu Athenis commoratus sit; quae res magni est momenti, si quaeritur, quo tempore scholam constituerit. Apuleii enim et Olympiodori narrationes satis dubiae atque incertae sunt. Antiquissimum sane de ea re testimonium est septima illa ad Dionis propinquos epistola, quam Boeckhius[2]) Platoni adscribit, Salomon vero[3]) qui subtilem accuratamque de Platonis, quae vulgo feruntur epistolis instituit quaestionem, nullam a Platone conscriptam esse demonstravit; tertiam tamen, septimam, octavam haud multo post Platonis mortem literis esse mandatam. Septimae epistolae Platonem auctorem esse testatur Cicero Tusc. V, 35, 100— cuius verba ad epistolam VII, p. 326B spectant. Fortasse haec quoque epistola iam Aristophani Byzantio nota erat, qui Diog. Laërt. III, 62 testante epistolas quasdam genuinis Platonis scriptis adnumerat. Narratur autem in illa epistola Platonem quadraginta fere annos natum Syracusas venisse.

Quae cum ita sint, haud verisimile videtur esse Platonem, ubi ex hoc itinere Athenas rediit ibique scholam instituit,

1) Hermanni opinio p. 106a 82 et p. 568a 75. Platonem quatuor vel quinque demum annis post Socratis abitum Athenis excessisse falsa est; nam verba illa Diog. Laërt. II, 106 non ad triginta tyrannos, quorum princeps Critias fuit, referenda sunt, sed omnino ad eos, qui tum in re publica summam imperii tenebant.

2) Graec. trag, princ. Heidelberg 1808 p. 163, 399.

3) Programm des Berliner Fried. Wilh. Gymnas. 1835.

tum demum in Aegyptum aliasque regiones iter fecisse. Cicero autem certissimus hac de re testis (respubl. I, 10) dicit Platonem primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam et in Siciliam contendisse, ut Pythagorae inventa perdisceret. Idem etiam — de finib. V, 29 — „cur Plato, inquit, Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et coelestia acciperet? Cur post Tarentum ad Archytam? Cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Acrionem Locros, ut, cum Socratem expressisset, adiungeret Pathagoreorum disciplinam eaque, quae Socrates repudiabat, addisceret?“[1])

Utrum vero Plato brevi an multo ante primum in Siciliam iter in Aegyptum profectus sit, ex his Ciceronis verbis non apparet, ex septima autem illa epistola conicere possumus Platonem ex Aegypto Athenas reversum ibique aliquamdiu commoratum esse, quod Plutarchi quoque verbis confirmatur, qui Platonem dicit ex Aegypto redeuntem Delon venisse.[2])

Verum etsi Plato post reditum ex Aegypto Athenis aliquamdiu commoratus est, tamen non est credibile eum iam tum scholam constituisse et paullo post reliquisse, ut in Italiam et Siciliam iter faceret. Fortasse iam illo tempore de schola constituenda ceperat consilium et susceperat iter, ut Pythagoreorum disciplinae genus cognosceret. Ex hoc autem itinere Plato cum magno vitae et libertatis periculo Athenas rediit anno 388[3]) atque inde ab hoc tempore iuvenes philosophiae studia aemulantes coepit docere exstititque mox auctor scholae, quae ab eo loco, in quo docebat Academia est appellata.

Atque illo tempore a Platone etiam dialogum Phaedri

1) cf. Val. Max VIII, 7, 3 et Augustin. de civitate dei VIII, 4

2) Plut. de daem. Socrat. VII *κομιζομένος ἡμῖν ἀπ᾽ Αἰγύπτου περὶ Καρίαν Δηλίων τινες ἀπήντησαν δεόμενοι Πλάτωνος ὡς γεωμετρικοῦ, λῦσαι χρησμόν. κ. τ. λ.*

3) cf. Diog. Laërt. III, 19.

nomine insignitum scriptum et in publicam lucem emissum esse putamus, qua de re nunc nobis est disserendum.

Priusquam vero ad rem ipsam aggrediamur, pauca in universum dicenda erunt de opera et studiis eorum, qui de vita et scriptis Platonis atque imprimis de Phaedro subtilius et copiosius disputaverunt.

Primus hic nominandus est Tennemannus,[1] qui non solum omnes dialogos sub Platonis nomine nobis traditos, sed etiam epistolas illas a Platone conscriptas germanas esse censet. Dialogos exotericos appellat atque contendit Platonem in illis nequaquam studuisse universam suam disciplinam accurate et copiose exponere eiusque rationem et formam instituere, sed partes tantum quasdam explicasse, ut aequales ad philosophiae studia incitaret; atque in ipso libro, qui Phaedrus inscribitur, Platonem nobis declarasse disciplinam, quae in rerum contemplatione versaretur, literis consignari non posse, praesertim quod vulgus erroribus opinionibusque praesumptis ita captum teneretur, ut ad sapientiae studium sese conferre non posset. — p. 137 — Platonem quidem habuisse certam disciplinae suae rationem, sed paucis tantum discipulis tribuisse. Quamquam Tennemannus iam perspexit, haud parvi esse momenti quaestionem, quo ordine singuli Platonis libri emissi sint, ut iuvenis placita a placitis grandaevi discernere possimus et indagare, quos fecerit in efformanda sua doctrina progressus tamen hanc quaestionem ipse leviter tantum tetigit. (p. 115—124) Praeterea etiam multa Platonis praecepta non recte intellexit et perverse interpretatus est, quia nimis Kantiana tenebatur philosophia, per cuius quasi speculum Platonis disciplinam contemplatus est et interpretatus. Denique etiam argumentum et formam librorum minus diligenter respexit, neque quo ordine singuli dialogi sese exceperint

---

1) Systema philos. Platon. Lips. 1792—95.

vel quo tempore in lucem proderint, accuratius studuit explicare.

Deinde Schleiermacherus[1]) in praefationibus, quas singulis Platonis libris praemisit, magno mentis acumine ex ipso librorum argumento ordinem, quo in lucem publicam emissi fuerint, accuratius studuit definire. Ampliores et graviores libros censuit perpetua quodam argumenti continuatione inter se iunctos et connexos esse, minores autem illis tamquam appendices et quasi administros tribuit vel pro suppositiciis habuit. Verum enim philosophum dicit non a parte quadam ordiri et proficisci sed praesentire quodammodo et praesagire totum.

Cum negari non possit in Phaedro universae Platonis philosophiae lineamenta fundamentaque contineri, eadem autem non satis dilucida et evoluta, ut putat, haud dubium esse, quo loco hic dialogus ponendus sit. — Huic praeiudicatae de nostro dialogo opinioni Schleiermacherus tantam tribuit vim, ut illa quasi fundamento ipsius de dialogorum ordine eorumque inter se connexione sententia nitatur. Verum Schleiermacherus studio suo Platonis dialogos in continuam seriem coniungendi et copulandi adductus est, ut incertas, ne dicam temerarias, faceret coniecturas. Nam quod ille contendit Platonem in altero dialogo non potuisse pergere, nisi iam id, quod in priore spectasset, effectum esse putavisset, ita, ut finis prioris simul initium et quasi fundamentum sequentis esset, atque Platonem iam cum primum conscriberet dialogum, totam ceterorum seriem et universam suam doctrinam certis quibusdam lineis designatam et adumbratam ante oculos habuisse et immutatam servasse concedere sane non possumus. Atque Schleiermacherus ipse concedit Platonem doctrinam suam magis magisque excoluisse et efformasse et placita quaedam correxisse vel adeo mutasse; negat autem philosophum in dis-

1) Opp. Plat. interpret. germ. Berol. 1804 vol. I.

ciplina sua excolenda et efformanda progressum esse ad idearum doctrinam, quam potius iam ab initio eum ante oculos habuisse putat. Quae Schleiermacheri sententia ea maxime nititur re, quod Phaedrum, in quo doctrina illa perfectior primum dilucide apparet, primum quoque Platonis opus esse censet.

Talis autem singulorum dialogorum inter se connexio, qualem Schleiermacherus studet demonstrare, quantum nos quidem videmus, non exstat; quae si exstaret, mirandum sane esset, quod usque ad Schleiermacherum nemo illam invenisset. Porro cum noster philosophus hoc haberet, ut omnes philosophiae partes in unum quasi corpus coniungeret easque sic inter se iunctas et colligatas cogitaret et explicaret (p. 22), quod etiam in gravioribus dialogis, qui provectae philosophi aetati tribuuntur, factum esse intelligimus, nequaquam autem in minoribus, iam sequitur, ut hic dialogus non inter minores illos dialogos habendus sit, in quibus Plato non nisi de vita et moribus rebusque bonis et malis agit, sed potius inter maiores.

Porro Astius[1]) cum Schleiermachero consentiens dialogorum formam et argumentum ex uno eodemque principio orta atque ea de causa arctissime inter se connexa esse putat. Hac vero in re ab illo discrepat, ut hanc formae et argumenti connexionem ad singulos tantum dialogos easque plurium coniunctiones, quas Plato ipse dilucide significavit[2]), non ad totam dialogorum complexionem referat. Ampliorem quemque dialogum ita esse compositum et aliquatenus certe absolutum, ut, quamvis ad alium relatus, tamen quasi ex se ipso natus per se etiam intelligi et explicari queat. (p. 40) Omnes fere illos libros, quos eo tempore a Platone scriptos esse probabile est, quo Socratis usus est consuetudine, Astius tanquam ingenio Platonis

---

1) De Platonis vita et scriptis Lips. 1816.
2) Plat. Polit. p. 257A; Critias p. 108A. C.

indignos pro suppositiciis habuit. Phaedrum ipsum inter primos dialogos numerandum esse censuit, qui a Platone sint compositi (p. 105 sqq.); et quamquam recte perspexit Platonem iam illo tempore, quo Phaedrum literis mandavit, non solum Pythagoreorum placita, Empedoclis et Philolai praecipue diligenter tractasse et cognovisse, sed etiam Eleaticorum, tamen hunc dialogum anno 407 a. Chr. n. a Platone editum esse contendit.

Tum Socherus[1]) qua via ac ratione Plato in disciplina sua efformanda progressus fecerit, explicare atque ex gradu et quasi processu philosophandi ordinem, quo sese exceperint singuli Platonis libri cognoscere studet. Intellexit ille quidem indicia, quae in ipsis dialogis continerentur, exquirenda esse et perscrutanda ad constituendum, quo ordine Platonis libri in lucem fuerint emissi, accuratius autem in hanc rem non inquisivit, neque recte et clare perspexit quomodo et quales Plato in disciplina sua perficienda et excolenda fecerit progressus.

Hermannus[2]) denique totam philosophi vitam accuratissime perlustrans ostendere studet, quae res ad ingenium eius excolendum doctrinamque perficiendam vim habuerint et quo ordine dialogi in publicam lucem sint emissi: ex quibus nobis vult demonstrare, quantum temporum mutationes, scientiarum locupletationes, literarum et vitae cognitio ac peritia inde ab eo tempore, quo primum ad libros conscribendos operam contulit usque ad eius mortem valuerint. (p. 370) Singulorum enim dialogorum discrimina non solum in forma et argumento, sed in mutata potius et magis exculta philosophandi ratione posita esse, quod etiam ex eo evidentissime apparere dicit, quia apud Platonem plus quam apud ullum alium scriptorem philosophum forma et argumentum arctissime cohaereant. Platonem nequaquam-

---

1) De scriptis Platon. Münch. 1820.
2) Geschichte und System der platonischen Philosophie, Heidelberg 1839.

iam iuvenem talem sibi proposuisse finem, ad quem per totum illud vitae spatium in scriptis suis contendere et pervenire studeret, sed multas res in excolendo et erudiendo eius ingenio haud parum valuisse, minime vero lineamenta illa, quae iam iuvenis animo suo et cogitatione comprehendisset, certo quodammodo et ratione eum accuratius explicuisse et perfecisse. Porro etiam singulos gradus in vita philosophi accuratius definire atque omnia, quibus Plato in progrediendo aliquid debuerit, momenta conquirere et explicare studuit. Non modo perfectam et excultam exhibet doctrinam, quam Plato tum demum habere potuerit, cum omnes philosophiae partes earumque inter se necessitudines quasi in unum animo comprehendisset: sed etiam a primis initiis eam per omnes gradus et processus usque ad summam eius perfectionem persequitur. (p. 369) Et profecto cum Platonis disciplinam explicare non possimus nisi ex ipsius scriptis, id sane rectissime fieri non potest, nisi concedimus Platonem per gradus ad illam disciplinae perfectionem pervenisse, atque si omnia intuemur philosophi scripta, ex quibus doctrinam haurire possumus, facile intelligimus in iis ipsis illos gradus nobis indicari et significari.

Totus Hermanni commentarius id spectat, ut Schleiermacheri sententiam de Platonis doctrinae ratione refellat ac redarguat. (p. 347) Et haud dubie Hermannus non solum multas Schleiermacheri opiniones emendavit, sed omnino veriore iudicio in quaestionibus illis instituendis ducitur. Etenim si Phaedrus primus esset dialogorum, Plato iam iuvenis aliorum philosophorum placita non solum accuratissime retractasset et cognovisset, sed etiam cum sua ipsius doctrina quasi confudisset et commiscuisset, ita ut ipsius propria fierent. Tum etiam minores dialogi rectius Astio auctore pro suppositiciis habendi sunt, nisi fingere volumus Platonem in disciplina sua efformanda non processus sed potius recessus fecisse. Hermannus autem demonstrat Platonem, quamdiu Socratis usus sit consuetudine,

non nisi philosophiae, quae de vita et moribus rebusque bonis et malis ageret, studiosum fuisse et Socratem in dialogis ita philosophantem inducere, ut a Xenophonte factum est in libro, qui ὑπομνήματα inscribitur; atque post Socratis mortem demum eum cognovisse et perspexisse, quam longe literarum campus pateat et susceptis demum in Aegyptum, Italiam, Siciliam itineribus scientiam auxisse et amplificasse.

Sed iam ad ipsum nostrum dialogum aggredientes primum eius argumentum quam brevissime enarremus nobis videtur necesse esse. Phaedrus Myrrhinusius a Lysia, disertissimo illius temporis rhetore, veniens et de ambulandi gratia citra urbem pergens Socrati obviam fit, cui magna cum voluptate narrat sese modo a Lysia audisse orationem amatoriam. Socrates magnam illius audiendae cupiditatem simulans Phaedrum rogat, ut quantum pro viribus fieri possit, orationem illam referat. Tum vero Socrates animadvertit eum libellum quendam in sinistra sub pallio tenere atque suspicatus ipsam Lysiae declamationem esse, eam recitari iussit. Considentes igitur ad Ilissi ripas sub umbra platani patulis diffusae ramis atque sophistarum, suorum ipsorum cognitionem negligentium, operam, quam in fabulis argute interpretandis consumebant, perstringentes Lysiae orationem instituunt perlustrare. In hac oratione Lysias studet demonstrare „non amanti" potius quam „amanti" gratificandum esse. Socrates, de illa haud honorifice iudicans, ostendit eius formam respiciens, multa inesse vitia; verborum delectum nimiam ieiunitatem, sententias iterum atque iterum repetilas neglecta amoris definitione; atque eius argumentum spectans, Lysiam non nisi vulgarem et humilem amorem respicere et cogitare, divinum vero et sublimem prorsus negligere, se autem maiora et meliora de eodem argumento dicere posse aït. Quibus dictis Socrates a Phaedro permovetur, ut Lysianae suam opponat orationem.

Tum Socrates capite obvoluto de eodem argumento,

i. e. de amore vulgari otionem, habet, in qua idem, quod Lysias docere studuerat, ostendit ei, qui non amet potius quam amanti gratificandum esse. Et praemissa amoris definitione, quem docet esse cupiditatem, quae sine mente ac ratione ad voluptates pellatur, ostendit, quantum ille amor amicorum et animis et corporibus noceat. Tota haec oratio formae ratione habita iis caret vitiis, quae in Lysiana sunt notata et reprehensa.

Qua habita oratione Socrates continuo canit, ut ita dicam, palinodiam, qua numen divinum, quod priore oratione violaverit, expiet, ne ipsi accidat, quod Homero et Stesichoro accidisse dicitur. Ac primum quidem, quod amorem in priore oratione ideo damnandum esse censuit, qua insania quaedam et furor esset, ostendit furorem non simpliciter in malis habendum esse, quoniam per eum maxima bona mortalibus tribuantur. Distinguuntur deinde varia furoris genera μαντική, τελεστική, ποιητική. Et μαντικὴν quidem mortalibus salutarem fuisse, Pythiae, Dodonaeorum sacerdotum, Sibyllarum exemplis demonstratur; τελεστικὴν autem homines morbis maximisque calamitatibus per lustrationes expiationesque liberasse; ποιητικὴν denique a Musis proficiscentem tenerum et intactum animum suscipientem antiquorum facta exornare et posteros instruere.

Quibus expositis Plato doctrinam suam de animo explicat. Ac primum quidem ostendit omnem animum esse immortalem propterea quod motionis suae principium ac fontem in se ipso habeat, omnia autem quae ex principio oriantur, terminum habere motionis ideoque mortalia esse. Tum vero quae sit animi species exponit, in qua adumbranda imagine quadam utitur, quacum equorum ab auriga rectorum iugo comparatur. Et deorum quidem, inquit, equi et aurigae omnes boni sunt atque ex bonis oriundi, aliorum autem permixti, alius bonus et honestus, alius contrarius et ex contrariis ortus. Quam diu autem animus alatus et perfectus manet, sublimis incedit et rerum universitatem gu-

bernat, alis autem orbatus magis magisque deorsum fertur, donec corpus aliquod terrenùm apprehenderit et induerit. Animi vero naturam illustrans Plato docet idealem, quae dicitur, animi vim — *ἡγεμονικὴν* — rectorem sive aurigam — *ἡνίοχον* — i. e- rationem, *τὸ λογιστικὸν* esse; realem autem cum bigis comparat, quae ab auriga reguntur, cuius vis duplex est, *τὸ θυμικὸν* sive iracundia, quae cupiditatem coërcet, et *τὸ ἐπιθυμητικὸν* sive cupiditas, quae res corporeas tantum appetit, *δύναμιν* i. e. naturam, denique *ζεύγους* et *ἡνιόχου σύμφυτον* nuncupat, ut ostendat sensibilem animi vim et rationalem natura esse coniuncta.

Iam adiiciuntur causae, quibus factum sit, ut animi, quamvis olim cum aliis immortalibus res divinas contemplati, nihilominus in hanc terram essent delapsi. Ac dii quidem, inquit, ipsam veritatem iustitiam, sapientiam, pulchritudinem intuentur; ex ceteris autem, qui deos sequuntur, animis nonnulli, et quidem perfecti verum item conspiciunt quamquam non tali modo ac dii ipsi, propter mali equi ferociam alii hic illic tantum caput super coeli superficiem elevant et veritatem aliqua ex parte tantum vident; alii semper infra coeli superficiem versantur, nec quidquam veri unquam percipiunt, sed aurigarum vitio alas amittunt et aliis quoque modis confringuntur ac debilitantur. Cur vero animi tanto aeternae veritatis videndae studio teneantur. Plato ex Adrasteae i. e. aeternae necessitatis lege factum esse docet. Stat enim immutabilis, inquit, fatorum lex, ut quicunque animi veri aliquid viderint, usque ad alteram periodum omnis mali expertes atque innoxii maneant, qui vero nihil veri spectaverint, et oblivione vel malo quodam affecti alas amiserint atque ea de causa deorsum in terram delapsi sint, terrenis includantur corporibus. Horum autem fortuna et conditio satis diversa est, prout plus minus scientiae cognitionisque olim adepti sunt; quos omnes Plato in morem ordines distribuit. Qui ubi morte defuncti sunt, vel meliorem vel deteriorem nancis-

cuntur sortem atque millenis annis exactis nova corpora sibi eligere possunt. Philosophorum vero animi, vel eorum, qui una cum philosophia pueros amaverunt, si ter deinceps eandem vitam degerint, alis recuperatis post tria milia annorum in pristinam sedem revertuntur; alii autem decimo demum mille annorum circuitu transacto secundae vitae sortem atque electionem suscipiunt. Iam vero ad amoris philosophi vim et naturam illustrandam progreditur. Oportet enim, inquit, hominem generatim, quod dicitur, cognoscere et mentis cogitatione in unum comprehendere, quae ex multis prodeant visis. Quod sane fit recordatione eorum, quae in coelesti vita animus iam spectavit. Qua propter solus philosophi animus merito alas recuperat quippe qui in restauranda rerum divinarum memoria semper defixus inhaereat. Post hanc orationis digressionem, in qua de animi immortalitate vitaque coelesti, cuius recordatio sit omnis hominis scientia et intelligentia, egerat, philosophus ad quartum insaniae genus i. e. ad amoris furorem illustrandum progreditur, quem omnium optimum et praestantissimum esse ostendit. Soli enim philosophi, inquit, cogitatione et contemplatione propter intellectualem suam naturam ex veri, iusti simulacris ipsa rerum exemplaria colligunt et assequuntur, quae in terrestribus rebus nulla cernuntur. Pulchritudo tamen omnium maxime perspicua et manifesta et in his terris quoque externa forma splendens acutissimo oculorum sensu percipitur, qua propter in rebus pulchris facillime aeternae pulchritudinis ideam spectamus. Quod non iis contigit, qui divinae pulchritudinis immemores pecudum more non nisi corporis voluptates quaerunt. Divinus autem et philosophus amator conspiciens aliquod pulchri simulacrum i. e. pulchrum hominem, ipsius pulchri ideae recordatur atque in eo, quem amat, summa cum reverentia et veneratione notiones et sensus pulchros studet procreare. Diversi vero amandi modi ex eo oriuntur, quod amator quisque talem sectatur, qui simi-

lis sit ei deo, quem ipse olim in coelesti vita consecutus est; ad cuius speciem et semet ipsum et amatum studet formare; optimi autem et perfectissimi amatores ii sunt, qui olim Iovem, *νοῦνβασιλέα*, sunt secuti, eiusque ideam quasi vita sua exprimunt. Verum non sine magna virium contentione amator amasium sibi recuperat; tertia enim animi pars, i. e. equus malus pulchro adolescente conspecto ad libidinis voluptatem et bonum equum et aurigam rapit, sed aurigae prudentia et boni equi fortitudine domatur et cohibetur, ut cum reverentia quadam et metu adolescentis vestigia sequatur. Tum amatus in amatore tamquam in speculo suam ipsius imaginem conspicit et item amore incenditur, ut mox alter alterum mutuo amplectatur amore et quemadmodum in amatoris animo alae geminare incipiunt, ita etiam amasci animum irrigat, ut in eo quoque alae pullulent; atque recta vitae institutione et philosophiae studiis beatam concordemque degunt vitam a turpi libidine alienam et a corpore liberati ea, quam ingressi sunt, via procedentes lucidam vitam agunt omnisque amoris felicitate fruuntur, donec alis recuperatis in coelum revertantur. Eorum autem animi, qui sese corporis voluptatibus dediderunt, e corporibus elapsi circum terram volutantur novem milia annorum et dementes sub terram pererrant. Huic palinodiae Socrates subiungit preces ad Amorem, ut Lysiam ab huiusmodi orationibus avertat et ad philosophiam convertat atque efficiat, ne Phaedrus amplius ut nunc, modo huc modo illuc se transferat, sed in amoris et sapientiae studio vitam prorsus agat.

Quibus expositis Plato ad alteram dialogi partem progreditur. Ac primum ostendit non solum orationes a rhetoribus habitas vel scriptas inanes esse verborum et sententiarum lusus, utpote ab omni veritate et philosophia destitutas, sed omnino omnes scriptiones vel rhetorum vel politicorum. Tum vero accedit ad quaestionem de vera scribendi et dicendi ratione; atque ante omnia docet elo-

quentiam, quae non verum sectetur, sed inanem speciem, non artem esse et scientiam, neglecta enim re ipsa et argumento hoc tantum spectare, ut multitudinem deludat, eius gratiam aucupetur et sibi gloriam comparet; perniciosam adeo esse illam eloquentiam, quia, quid verum bonumque sit, ignorans, falsum et malum suadeat. Qua re oratorem rerum cognitionem et veri scientiam ante omnia sibi debere comparare. Ars enim oratoria, inquit, *ψυχαγωγία* est, quae animos, quocunque velit, ducit et flectit, quae non solum in iudiciis et concionibus, sed etiam in rebus privatis ac domesticis regnat et res leves ac parvas aeque ac graves et magnas tractat. Cui arti nihil magis necessarium est quam veri et recti scientia et cognitio; quicunque enim alium vult decipere, ipse vero non decipi, eum rerum differentias et similitudines accurate cognoscere et dignoscere necesse est, nam qui alium vult decipere, non subito a vero ad falsum debet transire, sed paulatim, dum similitudines adhibet; unde apparet, ne falsam quidem dialecticam et rhetoricam sine veri cognitione i. e. sine philosophia cogitari nec pro arte haberi posse. Ostenditur deinde in Lysiae oratione rhetores et sophistas, qui mirum quantum sapientia sua et eloquentia sese iactabant, sine ullas arte agere. Ac primum Lysias corripitur, quod non ab ipsa re, ut necesse erat, orationem inceperat, sed omnia turbaverat, extremum primo, primum extremo loco posuerat. Nam ante omnia ei de amoris notione ac natura erat exponendum, tum demum ad ea, quae consequuntur, transeundum. Hic igitur Lysias demonstraret, necesse erat, amorem malam cupiditatem esse et tum demum ei, qui non amet, potius quam amanti gratificandum esse. Hoc enim inter omnes constare, Plato dicit, quamlibet orationem ad pulchri ideam formatam et compositum quasi *ζῷον* debere esse a natura ita fabricatum et perfectum, ut partes et inter se et cum toto convenienter cohaereant.

Describitur porro duplex via ac ratio artis, quae in

cognoscendis rebus perscrutandisque plurimum valet. Primum enim ita potest fieri, ut diversas et in multitudinem rerum dissipatas ideae formas colligentes in unam ideam reducamus, ex qua totius et partium distinctione vera cognitio proficiscitur; deinde ut ideam in ipsius species et quasi partes naturales dissolvamus articulatimque dividamus. Cuius utriusque rationis exemplum Plato in medium protulit. His verbis autem analyticam et syntheticam philosophandi dicendique rationem illustrari apparet. Haec igitur Plato de dialectica. Revertitur iam ad rhetores et sophistas, quos ab omni arte alienos esse ostendit. Artem enim a philosophia seiungi non posse, qua sublata rhetoricam nihil nisi inanem exercitationem esse, quae in artificiis quibusdam sine veri et recti cognitione excogitatis haereat. Huc etiam referendum esse, quae isti proponant de praefationibus, argumenti enarrationibus, de verisimilibus, de probationibus approbationibusque, de confutationibus, de laudationibus et vituperationibus, de affectuum commovendorum deliniendorumque auxiliis, de verborum iterationibus, de sententiarum usu, de translationum vel similitudinum inductionibus, de perorationibus, aliis horum similibus; quae omnia rudimenta tantum et parva quaedam initia esse, ad artem autem ipsam non pertinere, quod exemplis cuiusdam medici, tragici, musici demonstratur. Etenim si quis perfectus fieri velit orator, primo ingenium postulari, cui doctrina, studium, exercitatio se adiungant necesse esse. Quantum vero ex his ad artem attineat, quae ad perfectam eloquentiam requiratur, nequaquam ex via ac ratione, quam Gorgias et Thrasimachus ingressi sint, liquere. Periclis contra perfectissimi oratoris exemplo nos doceri, quantum ille debeat philosophiae, quae de rebus supernis et coelestibus quaerat atque oratori altiorem rerum cognitionem tribuat. Periclem enim Anaxagorae, talium rerum indagatoris et scrutatoris consuetudine usum huiusmodi quaestionibus contemplationibusque se tradidisse atque mentis

amentiaeque natura comprehensa ad dicendi artem, quod ipsi conducere videretur, traduxisse. Medendi autem et dicendi artis eandem fere esse rationem: in utraque enim naturae notitiam requiri et in altera quidem corporis, in altera vero animi. Animi autem natura explorata singulas eius partes oratorem debere explorare et perscrutari, ut, quae agant, quae patiantur, cognoscat, ut animi genera cum orationum generibus componens, utriusque affectiones et naturam perspiciat et intelligat, quae animi pars a quovis orationis genere afficiatur, ita ut persuasio efficiatur.

Falsos autem esse Gorgiam, Thrasimachum, alios, qui artem rhetoricam, ut opinabantur, tradidere, quia sine altiore et philosopha rerum cognitione rem aggressi sint. Ars enim id, inquit, quod tractare vult et quo tendit, nisi eius naturam cognitam habeat, male tractat et ars esse desinit.

Carpuntur deinde rhetores, qui opinantur et contendunt in iudiciis in accusando defendendoque non rerum veritatem spectandam esse, sed verisimilia et probabilia tantum captanda, ut saepius ne ea quidem, quae vere facta sunt, dividenda sint, nisi solam veri speciem prae se ferant. Illos autem non intelligere veri similitudines ab eo tantum, qui veritatis cognitionem habeat, posse reperiri. Hanc vero veritatis cognitionem, quae ad veram dicendi artem necessario requiratur, non ad res humanas et finitas, in quibus veritas non insit, sed ad absolutam et divinam rerum naturam spectare, neque gratiam et gloriam apud homines, quo unice rhetorum ars tendit, sed deorum gratiam studere captare.

Quibus de vera et falsa dicendi arte disputatis accuratius exploratur, qui rectus sit scripturae usus et quodnam pretium illi sit tribuendum. Haud dubie hac narratione studium scribendi nimium, quod tum inter rhetores florebat et quo gloriari valde solebant, reprehendere voluit. Hac in re Plato fabula quadam Aegyptia utitur. Theutus enim,

qui praeter arithmeticam, geometricam, astronomiam, calculorum et alearum ludum etiam literas invenisse dicitur, ad Thamum, Thebarum regem vehitur eique artium suarum utilitatem ostendit. Cum de aliarum artium utilitate in utramque partem multa essent disputata, denique scribendi artem Thamo ostentavit, quam memoriae et sapientiae remedium esse contendit. Thamus autem respondet literarum usum propter memoriae negligentiam oblivionem in animis discentium parere, quippe qui externo literarum adiumento confisi res ipsas intus in animis non revolvant; quam ob rem non memoriae sed recordationis subsidium eum invenisse. Scripturam enim hoc malum habere, ut signa tantum exhibeat, quae vivere videantur atque spirare, sed muta sint, ut, si propius accedas, interroganti nihil respondeant, atque hac in re eam cum pictura comparari posse. Geminum autem scriptae orationis fratrem esse vivum et animatum sermonem, qui in ipsis discentium animis inscribatur, qui veram vivamque scientiam, quae non nisi interior esse possit, procreet. Scriptione autem, inquit, vir sapiens, et oblectationis causa utetur et memoriae, ut in obliviosa senectute scripta possit repetere. Verum cum iam praeclarum sit res de iusto, bono, honesto oblectationis causa scribere, tum multo praeclarius erit studium, si quis arte dialectica utens animum idoneum nactus sermones cum scientia plantet et seminet, qui et sibi ipsi opem afferre possint et fructus producant seminaque reddant immortalia. Quibus a Phaedro concessis Plato discerni posse ait, quid in universum de arte scribendi sit statuendum, quidve praestet ad veram scientiae institutionem. Artem autem in eo positam esse ostendit, ut quis primum veritatem earum rerum, de quibus dicturus aut scripturus sit, cognoverit, deinde, ut universam rem definire et definitione posita rursus secundum species usque ad individua discernere ac dividere noverit; tum, ut animi naturam contemplatus et quid cuique congruum et conveniens sit, aucupatus, oratio-

nem quoque cuiusque animi naturae attemperare, vario animo varios et multiplices, simplici vero simplices orationes accommodare sciat. Cuius rei luculentum exemplum in altera Socratis oratione nobis est propositum. Num vero honestum sit an turpe orationes componere, ex iis, quae supra disputata sunt, perspicuum fieri putat. Nam sive Lysias sive alius vel privatim vel publice ita scribat, ut, quamvis, quid verum aut falsum, quid iustum aut iniustum, quid bonum aut malum sit, ignoret, tamen scriptis suis multum veri et certi inesse putet, eum revera opprobrio dignum esse autumat, sive alii ita censeant sive non. Orationem enim, cuiuscunque ea generis sit, per lusum iocumque literis mandatam non magno studio dignam esse et optimam quamque recordationi tantum inservire; in iis autem solis, quae verae institutionis et scientiae gratia in ipsis discentium animis de iustis, honestis, bonis scribantur, perspicuum quoddam et perfectum inesse easque solas studio dignas habendas esse.

Quibus omnibus expositis disputatio postremo ad Lysiam revertitur. Atque Phaedrus per Socratem iubetur Lysiae, amico suo, nuntiare nullum scriptorem dignitate frui nisi eorum, quae scripserit, vera praeditus sit cognitione; veritatem enim et scientiam omnium primum esse et summum. Iam addit Socrates praeclarum illud de Isocrate vaticinium, quo auguratur Isocratem praestanti ingenio generosisque moribus praeditum esse, ita ut non mirandum sit, si cum aetate longius sit provectus, in hoc ipso orationum genere, cui nunc incumbat, magis quam viri pueris praestet omnibus, qui unquam eloquentiae sese tradiderint, et diviniore quodam instinctu ad maiora feratur, quippe cum in illius ingenio philosophia quaedam insit. Denique Socrates deos precatur, ut ipsum intus pulchrum reddant atque efficiant, ut quae externa habeat omnia interioribus amica sint et unum sapientem pro divite habeat, tantum vero auri ipsi obtingat, quantum nec ferre nec ducere queat alius, nisi

vir bonus et sapiens. Quibus precibus factis colloquium finitur et ambo discedunt.

Enarravimus quam brevissime fieri potuit dialogi argumentum. Sequitur iam, ut quaeramus, quid universi operis sit consilium, ad quod omnes partes spectent, quo cognito demum et perspecto singulae quoque eius partes recte intelligantur.

Tum vero ad alteram propositi partem progrediemur et constituere conabimur, quo tempore hic liber a Platone scriptus et in publicam lucem sit emissus.

Si uno tamquam mentis obtutu hunc dialogum contuemur, apparet, ubi a scenico eius apparatu discesserimus, duas principales operis partes discerni posse, unam, quae continet tres orationes amatorias, quae usque ad p. 257B pertinet, alteram, in qua de arte dialectica agitur.

Quae duae operis partes primo obtutu parum inter se cohaerere videntur. Atque quam non multum a veteribus criticis intellectum sit, qua ratione hae duae partes inter se cohaereant et quod universi operis sit argumentum et consilium docet Hermias in commentariis ad Phaedrum.[1]) Quibus Hermiae verbis fidem faciunt multae inscriptiones, quae post „*Φαῖδρον*“ adduntur velut „*ἢ περὶ ἔρωτος*“, vel „*ἢ περὶ ψυχῆς*“ vel „*ἢ περὶ καλοῦ*“; sicuti multis aliis Platonis dialogis inscriptiones secundariae sunt adiectae.[2]) At non solum veteres, sed etiam recentiores Platonis interpretes hac de re in diversas partes discedunt. Alii enim universo operi propositum esse censent, ut amor purus atque divinus, quam clarissime illustretur, alii autem, ut artis rhetoricae cum philosophia coniunctae vel etiam dialecticae virtus illuminetur.

Quod si concedimus, altera utra dialogi pars prorsus negligitur, ita ut orationes illae amatoriae nonnisi pro

---

1) ed. Ast. p 62.
2) cf. Brandis. p. 156; Schleiermach. p. 55.

exemplis quibusdam pravae vel rectae eloquentiae, vel pro episodiis, quae dicuntur, accipiantur. Primum autem ex recentioribus Astius in hunc dialogum accuratius inquisivit, cuius universi argumentum atque vinculum, quo duae eius partes contineantur censet esse artem sophisticam illius aetatis, quae in scribendo et docendo nimiam sibi affectaverit auctoritatem.

Atque in oratione Lysiae, qui rhetorum sophisticorum praeceptis imbutus fuerit, Platonem nobis pravum illud sophistarum studium et ingenium ostendere et ita quidem, ut in priore dialogi parte illud studium ad vitae usum conferat atque argumentis rationibusque collustret; in altera vero parte praecepta et artem illorum rhetorum examinet accuratissime et ostendat, quam vana et inania illa sint, utpote a veritatis studio plane aversa. Haud ignorat quidem Astius orationes amatorias primae partis magno esse momento, quibus a philosopho ostendi putat, quid sit universae philosophiae unius cuiusque artis principium, amor scilicet, sive acrior quidam veritatis sensus vehementiorque appetitus, sine quo philosophia omnino nulla sit atque ars simulacra tantum pulchri idearumque imagines exprimere et delineare possit, atque illo demum amore, qui idearum comprehendendarum facultate exstructus et ornatus sit, philosophiam revera fieri artem.

Qui vero huius artis sit particeps, eum ideas illas non solum explorare et contemplari, sed etiam in suo ipsius atque in eius, quem amet, animo imprimere et effingere studere. Attamen Astius non ostendit, qua ratione haec omnia ad dialogi argumentum ab ipso propositum pertineant. Schleiermacherus deinde alterum profert ac premit momentum huius dialogi, cuius argumentum atque summam eo contineri censet, ut ostendatur artem dialecticam unam esse recte cogitandi et disserendi magistram ideoque reliquarum artium omnium et praesertim oratoriarum parentem atque procreatricem. Eademque opera etîam ideas illustrari, ad

quas dialectica spectet. Vinculum autem, quo ambae dialogi partes inter se cohaereant, putat esse amorem, philosophum, ex quo dialectica sit profecta. Quem amorem in animi natura situm nihil aliud esse dicit, quam coelestem et divinum amorem, qui vulgari illi amori, suae ipsius utilitati tantum servienti, longe sit anteponendus. Schleiermacherus autem artem rhetoricam, cui Astius maiorem tribuit vim et gravitatem, minus respexit atque sermonem dialecticum optimam quidem, verum non unicam artis oratoriae speciem esse parum reputavit.

Socherus[1]) porro huius dialogi argumentum et summam ex temporibus tantum intelligere et explicare studuit, et quamquam, ut postea videbimus, recte iam perspexit, quo tempore a Platone hic dialogus esset emissus, tamen vitiose concludit, quia pro certo ponit, quod argumentis erat efficiendum et demonstrandum. Platonem enim, cum scholas in Academia habere constituisset, huius consilii sui in Phaedro reddere rationem; qua de causa eum putat summam universae philosophiae in hoc exposuisse, quam amoris descriptione vestierit et ornaverit, quia amor praecipue iuventuti, quam edocere vellet, proprius esset ac peculiaris. Hac de causa etiam censet philosophum in hoc dialogo ab amore ad excelsam et divinam philosophiae disciplinam proficisci. Tribus autem illis orationibus amatoriis a Platone putat demonstrari philosophum declamationum scriptore in scribendis habendisque orationibus multo esse exercitatiorem; atque in altera dialogi parte explicari rhetorem dicendi artium praeceptorumque scientia et cognitione philosopho longe esse inferiorem. Rhetorum enim praecepta quam longissime abesse ab ipsa arte, cuius initia tantum illa haberi possint.

Solam philosophiam esse fontem, ex quo verae artis dicendi praecepta haurire debeat, qui optimus fieri velit

---

1) p. 291—325.

orator; quem, cum aliis velit persuadere, id saltem oportere perspectum cognitumque habere, quod verum esse videatur; hoc autem eum tantum scire posse, qui verum ipsum intellexerit i. e. qui dialecticus vel philosophus factus sit. Cum enim orator audientium animos, quocunque velit, rapere studeat, necesse esse eum et hominum animos penitus inspexisse, et quibus opibus viribusque regi possent perspexisse. Quae omnia philosophia tantum instructum imbutumque oratorem consequi et impetrare posse. Et Platonem, ubi intellexerit, philosophia literis consignata homines revera edoceri non posse, in Phaedro ostendere praesenti tantum sermone ideas posse excitari.

Hermannus[1]) denique aliam ingressus viam totius operis artem et compositionem perspicuam fieri censet, atque duabus dialogi partibus de amore et rhetorica iustam dignationem tribui, si celsius quoddam atque altius indagemus et inveniamus. Atque studium aeternae veritatis vel idearum illud esse putavit, in quo totius sermonis tamquam cardo verteretur. Doceri igitur in Phaedro omnia studia etconsilia humana ad divinae veritatis cognitionem et intelligentiam, tamquam summam agendi normam dirigi et referri oportere, ut a turpi libidine atque humili ac sordida sentiendi cogitandique ratione tuta et immunia praestentur, quod imprimis etiam de amore et arte oratoria ita existimandum esse censet. Verum Hermannus non satis respexisse videtur illud Platonis p. 264C omnem orationem ad pulchri ideam conformatam et compositam quasi ζῶον debere esse ita perfectam, ut nihil ipsi desit, h. e. omnibus numeris absolutam et harmonicam, ita ut partes et inter se et cum toto convenienter sint descriptae. Atque Hermannus ipse confitetur sese ex temporibus tantum posse intelligere et exponere, cur Plato has res sibi sumpserit atque coniunxerit. Ita tamen duae dialogi partes mutuam

1) p. 514—517.

vim et effectum habere non possunt, cum illarum vinculum non ex iis ipsis explicare studeat, sed extrinsecus quaerendum esse censeat.

Ex his omnibus autem apparet neque solum amorem, neque artem rhetoricam, neque dialecticam vinculum esse posse, quo omnes dialogi partes contineantur; sola enim dialectica non potest esse, quia tum singula amoris furorisque genera inepte describuntur, cum non omnis amor atque furor ad dialecticam et philosophiam spectet et contendat; non sola rhetorica, quia tres illae orationes tum nihil aliud nisi exempla quaedam falsae et verae eloquentiae sunt; denique non solus amor, quia hic non eius natura et origo explicatur et definitur, sed ille ita tantum depingitur quatenus ad artem dialecticam et rhetoricam pertinet. Quam ob rem aliud quoddam quaerendum esse censemus, quo tamquam ex toto partes illae explicentur.

Hoc autem est Platonis de animorum vita coelesti atque sempiternitate doctrina, quae in altera Socratis oratione, in qua gravissimi philosophiae loci explicantur, clarissimis verbis describitur. Cum hac doctrina cohaeret deinde descriptio singulorum animorum, qui iam in superiore illa vita variae erant indolis, prout hunc vel illum deum consectati sunt, atque plus minusve idearum capaces. Ex idearum autem recordatione, quae mortalis pulchritudinis in corporibus radiantis adspectu resuscitatur, omnis divinae veritatis amor omnisque philosophia sive idearum per se aeternarum atque absolutarum manat cognitio. Accuratius autem hic animus describitur, quia ad tres universae philosophiae partes pertinet; ad physicam, quatenus vitae ac motionis, ad dialecticam, quatenus cognitionis, ad ethicam, quatenus agendi fons est et principium. Ex varia autem animorum indole sequitur unumquemque et sui ipsius et aliorum animi naturam cognoscere et ad propriam cuiusque scientiam alere et excolere debére.

Videtur igitur nobis Plato in componendo hoc dialogo

id spectasse, ut describenda illa deviniore animorum vita variaque natura ac indole ostenderet unam philosophiam, utpote nativa sua indole in idearum appetitione et comprehensione contentam recte cogitandi et iudicandi, dicendi et docendi esse magistram, rhetoricam vero istam vanitatis inanitatisque appetentem, utpote a studio aeternae veritatis plane aversam humiliter sentiendi et sordide agendi esse parentem et effectricem. Hoc sane illud est, quod Plato in animo habuit et ad quod omnes dialogi partes tamquam ad commune principium referuntur. Huc pertinet, quod Plato veritatem opponit opinioni ita, ut animos, qui in coelesti vita ideas spectaverint, opponat iis, qui ad ideas illas intuendas aut aegre aut omnino non pervenerint; unde etiam in terrestri vita discrimen inter divinum philosophumque atque vulgarem et depravatum amorem ortum sit. Huic contrariae animorum naturae respondet etiam falsa ac vera ars rhetorica; haec enim accuratissime animos perspicit, eorumque variae indolis ac naturae fert rationem atque id spectat, ut in discentium animis aeternae veritatis scientiam excitet; quod sane potest consequi, quia arte dialectica utitur, cuius ope res accurate definire earumque notiones describere et disponere potest. Falsa autem illa et vulgaris rhetorica, quia artis dialecticae expers est et veritatis scientia caret, unam verisimilitudinis speciem captat atque boni et mali, turpis et honesti, iusti et iniusti discriminibus neglectis turpissima scelera et flagitia excitat. Cum vero haec rhetorica etiam orationum scriptionibus plurimum tribueret iisque valde superbiret, literarum quoque scriptura, quae tum invaluerat, vivo et animato opponitur sermoni. Literarum enim usurpatio liberam mentis ingeniique agitationem, qualem philosophia postulat, utique aufert et impedit, memoriae vim comminuit et debilitat, animis vanam sapientiae opinionem ingenerat, quae verae scientiae intus in animis oriundae plurimum officit. Vivax autem oratio pro rerum ipsarum varietate variis discentium animis

et ingeniis sese accommodat, loqui et tacere scit, apud quos debet atque idonea est ad causam suam defendendam; scripta autem oratio, quamvis sapientiae speciem prae se ferat, tamen omnino muta est. unum idemque semperdicit et cum versetur inter intelligentes et inter eos, ad quos nihil pertinet, nec loqui scit, nec tacere, ubi debet atque si male laxatur iniusteque reprehenditur, semper eget defensore parente suo, quandoquidem ipsa se tueri ac defendere non potest. Porro etiam discrimen est inter sermonem forma dialogica et forma acromatica sive scriptum sive habitum; vivi autem sermonis institutioni quam simillimae sunt orationes dialogi forma conscriptae. Quare non omnes damnandae sunt orationes et minime eae, quae scientibus recordationi inservire et *εἴδωλα* vivi sermonis esse volunt. Et recte Schleiermacherus[1]) nobis videtur animadvertisse Platonem iis scriptis sermonibus, qui magno studio et arte dialectica dialogique forma sint elaboratae vim quandam docendi tribuere;[2]) iniuria autem Hermannus[3]) contendit omnes scriptas orationes a Platone contemni ac damnari. Dialogi enim formam tum temporis usitatissimam fuisse et Platoni a praeceptore Socrate traditam; atque ex eo, quod Plato in omnibus suis operibus illa forma usus sit, eique hac re maiorem tribuerit vim et auctoritatem, nequaquam conici posse dicit, eam omnino necessariam fuisse.

Tum vero non liquet, cur Plato tantam industriam et diligentiam in forma illa collocaverit. Iure igitur Schleiermacherus[4]) monet illam formam apud Platonem haud exiguam habere vim atque cum tota eius philosophia arctissime cohaerere. Quod vero Schleiermacherus dicit Platonem in disciplina sua atque institutione continua oratione

---

1) l. c. p. 18.
2) Ritter l c. II p. 166 et Brandis II p. 158.
3) l. c. p. 353 et 354.
4) l. c. p. 19.

uti non potuisse, id verum est, si ad tirones in philosophia et arte dialectica refertur, coram discipulis autem, qui iam maturitatem quandam erant assecuti, longiore sane potuit uti; atque omnibus dialogis, qui Platoni aetate provecto tribuuntur, plus minus longiores sermones insertos invenimus, quod recte Hermannus (l. c. p. 76) animadvertit, verum ex eo minime id concludere volumus, quod Hermannus conclusit